



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 51. S. aviti Epistola.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum VI. ginta Sex, & primo Laurentii Mediola-
 A. C. 501. nenfis, & Petri Ravennatensis Nomina
 leguntur. De hac quarta Sessione in ali-
 quo Concilio sequente legitur: *secundum*
quartam Synodum, seu Synodum Palma-
rem. Id nominis forte a Loco, in quo
 Patres congregati erant, contraxit.

§. LI.

S. Aviti Epistola.

p. 1336.

Ubi Decretum Concilii Romani in Gal-
 liam delatum est, omnes Episcopi
 commoti, S. Avito Episcopo Viennensi
 mandarunt, ut nomine omnium scribe-
 ret. Epistolam direxit ad primos Sena-
 tores Faustum, & Symmachum, ambos
 Patricios, & Consulares; Faustus enim
 anno 483. & Symmachus 485. illam Dig-
 nitatem gesserat. S. Avitus in exordio
 Epistolæ dicit, quod ob temporum iniqui-
 tatem, & Regnorum perturbationem,
 Episcopis Galliarum non amplius liceret
 libere Romam commeare, nec in unum
 omnes coire. Tum ad ipsam Causam
 transiens queritur, Episcopos, quos Pa-
 pam coram Principe accusatum oportuif-
 set defendere, judicandi provinciam in
 se suscepisse; *sicut enim, inquit, præci-*
piente Deo hujus Terræ Potestatibus sub-
diti sumus, ita etiam difficile captu est, quo-
modo Superior a Subditis suis, præsertim
Caput Ecclesiæ, judicari possit. Nihilo-
 minus

ominus Concilii Patres laudat, quod Dei ^{Sæculum VI.}
 Judicio reliquerint hanc ^{A. C. 501.} Causam, qua non
 sine omni levitatis nota se implicassent,
 & indicaverint, nec se, nec Regem Theo-
 doricum argumenta criminum, quorum
 Papa accusabatur, deprehendisse. Sena-
 tores obtestatur, ut Ecclesiæ Honorem
 tueantur, totum Episcopatum in Persona
 Papæ lædi non sinant, nec pessimum gre-
 gibus Exemplum suis Pastoribus insultan-
 di præbeant.

S. Avitus in hac Epistola Senatoris
 Romani, & Episcopi Dignitatem Titu-
 lumque jungit, nam ex primis stirpibus
 Romæ natus Imperatorem Avitum Avum,
 & Hefychium Senatorem habebat Pa-
 trem, qui ante ipsum Episcopus Vien-
 nensis fuerat. Rex Gundebaldus, etsi
 esset Arianus, S. Avitum maximi facie-
 bat, & sæpe in dubiis consulebat, quod
 ex Viri Sancti Epistolis super diversis Scri-
 pturæ quæstionibus apparet. In prima
 docet nos originem vocis: *Missa*, dicit-
 que, hanc Formulam: *ite Missa est*, non
 solum in Ecclesia fuisse usurpatam, sed et-
 iam in ædibus Principum, & Judicum
 Prætoriiis, quando soluto conventu po-
 pulus dimittebatur. S. Avitus sub an-
 num 500. in aliqua Collatione cum Aria-
 nis adfuit, in qua ipse Principem egit Per-
 sonam. Res ita se habuit.